

*diator* accedunt; minimùm quidem *Neuter*, ut *relatus*, sed indifferens studio ad litem partium; minùs, *Interpres*, *Inter-nuntius*; magis, *Interponens*, *Conciliator*, *Sequester*, *Intercessor*, *Moderator*, *Gubernator*, *Proxeneta*; proximè *Disceptator*, *Deprecator*, *Arbiter*, optimè ad eundem sensum, *Pacificator*. De differentiis horum in Latinâ, & aliis lingvis Synonymorum, cum ea ordine examinare longius paulò sit, & salvo *sequentium* intellectu transiri possint, plura addere supervacaneum esse putamus. Vid. Bertachin. Repert. Martin. Lex. Phil. & maximè Autt. qui rem substratam istis appellationibus pertractant.

## CAPVT II. OBJECTVM DECLARAT.

### §. I.

**E**Xplicatis iis, quæ circa nomen monenda erant, considerandum venit objectum, quod distingvimus in *materiale* & *formale*. I. *Materiale* quidem statuimus *Extrema*, *Partes* nempe *de certo quodam negotio dissidentes*. Proinde necessario ad minimum requiruntur *duo* extrema; hoc enim nominis *prima* significatio & quicquid *medii* rationem habet, facile arguit. Quos & ipsos ab hoc *Tertio* diversos esse liquet. Adversus *seipsum* neminem amoris odiique rationem habere jam pridem ostendit *Aristot. Eth. Nic. Lib. V. c. XV.* contra Platonis lubricam sententiam. Utut verò plures *duobus* ad *mediationis* objectum concurrant, tamen negari nequit, exinde duas solum fieri *partes à se differentes*: causa enim *una* est & *eadem*; atque ita necessum, ut altera aliquid affirmet, altera neget; hoc si ergo fit, oriuntur contradictoria, inter quæ non datur *medium*. Atque si plures duobus videantur in eadem controversiâ complicari, ut in *Socialibus* bellis solet, e.g. Peloponesio, Romanorum cum Macedonum & Asiæ, hodiè Germanorum & Hispanorum cum Galliæ RR. æstimantur